

AD
RECENSIONEM

BULLARII ROMANO-SVEOGOTHICI,
A NOBIL. A CELSE EDITAM,
ACCESSIO.

CUJUS PARTEM X,
CONS. FAC. PHILOS. R. ACAD. ABOËNSIS,
PRÆSIDĒ!

Mag. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

*Eloqv. Professore Reg. & Ord. Equ. Ord. R. de Stella Polari, R. Acad. Litt.
Human. Hist. & Antiquitt. R. Societ. Sc. Upsal. &c. Socio,*

Publicæ honorum censura submittit

HENRICUS SNELLMAN,

Ostrobotnienſis,

In Audit. Minori die XXI Junii MDCCC,

H. A. M. C.

ABOÆ, Typis Frenckellianis.

THESES RESPONDENTIS.

THESIS I.

Qui bonitatis Divinæ criminandæ inde materiam sumunt, quod recte agendi necessitati hominem Deus non adstrinxerit; illam anhelantes conditionem, ubi libertatis usus simulque justa præmierum & poenarum causa tolleretur, parum convenientia dignitati humanæ vota fovent.

Thef. II.

Quum homines res sibi noxias, falsa felicitatis spe ducti, sæpius optent; quod desideria eorum raro expleantur, miseriam hujus vitæ non comprobant.

Thef. III.

Graves antiquorum Philosophorum in doctrina de Deo hallucinationes, præterquam quod cautionem & modestiam in hoc argumento persequendo suadere nobis debent, cognitio & examen conatum ab iis etiam minus prospere factorum aliis quoque nominibus Philosopho fructum promittit haud contemnendum.

Thef. IV.

Valde est illorum Philosophorum probabilis sententia, qui narrationem de formatione terræ Mosaicam, non tam primas origines, quam mutationem atque restitutionem ejus post magnam aliquam quæ ei contigerat vastationem, spectare autumant.

Thef. V.

Ut ab una parte peccavit cum aliis Helverius, qui homines ad omnes suas actiones non nisi utilitatis suæ intuitu moveri statuit; ita ab altera Stoici & qui nostro ævo illorum jam instaurant præceptionem, ab humanæ naturæ nimis recesserunt & recedunt ratione, virtutem non nisi propter se & internam suam pulchritudinem, nullo habito vis ejus ad felicitatem nostram promovendam respectu, esse amplectendam & commendandam urgentes.

Thef. VI.

Similitudo, quæ inter lingvas multas primo obtutu diversissimas intercedit, licet sonis Onomatopœjeticis, quoad partem adscribenda sæpe sit; affinitatem tamen inter Græcam & lingvas nostras Septentrionales majorem esse, quam ut ex solo hoc fonte derivari possit, adeoque habitationis vicinitatem & arctius olim inter gentem utramque obtinens prodere commercium, existimamus.

Thef. VII.

Egregiam, civique religiosa memoria cuique recolendam Livius tradit sententiam, scribens: *Publica si prodis, tua nequidquam serves.*

Thef. VIII.

Artes manuaris non facile posse ad fastigium perducì, nisi in urbibus magna & opificum & aliorum incolarum multitudine florentibus, & ratio dicitur & experientia. Neque huic repugnat rationi, quod Fabricæ magni operis & instituti, seorsim locis idoneis conditæ, magno interdum successu apud populos industrios & locupletes utuntur.

Thef. IX.

De Deo loqui & religione, existentia Numinis extra intellectum nostrum negata, (sive illo non nisi ut idea mentis nostræ, cui nulla objectiva & realis competat existentia admisso), est verbis ludere, & fucum hominibus facere.



6. *Benedicto Nicolai, Canonico Scarenfi. Ibid. 2. Januar. A. I* (d. 2 Jan. 1343). Vi reservationis a se confirmatæ (de qua supra, N:o 1 & 3), Canonicatum & Præbendam Ecclesiæ Scarenfis, quos bonæ memoriæ *Guimarus* (d) Episcopus Scarenfis tempore promotionis suæ (a Pontif. Benedicto XII factæ) ad Episcopatum (e) ibidem habuerat, adhuc vacantes, Papa huic Benedicto Nicolai confert (f). — Indid. A. I, T. 1 Ep. 51c.

7. --- *Bononiensi & Aurofienfi Episcopis, & Abbati --- Monasterii de Varnhem Scarenfis Diocesis. L. a. & d. iisd.* Monentur, ut nominatum nuper Benedictum vel Procuratorem suum in corporalem possessionem Canonicatus & Præbendæ supradictæ inducant, & inductum defendant. — Indid.

8. *Petro Episcopo Lincopensi. Apud villam Novam Avinionensis Diocesis, XVI Kalend. Augusti, A. II* (d. 17 Julii 1343). Permittitur, ut Confessor suus, quem duxerit eligendum, omnium peccatorum suorum (de quibus corde contritus & ore confessus fuerit) semel tantum, in mortis articulo, ei, in sinceritate fidei & unitate S. Romanæ Ecclesiæ, & obedientia & devotione Pontificum Romanorum persistenti, plenam remissionem, auctoritate Apostolica concedere valeat. — Indid. A. II T. 3 p. 72 Ep. 268.

9. *Olavo Fastonis Canonico Upsalensi. Ibid. II Nonas Augusti A. II* (d. 4 Aug. 1343). Ejusdem tenoris. — Indid. Ep. 269 p. 72.

M

10 Ge-

(d) *Gunnarus*. Cfr. RHYZELIUS *Episcoposc.* P. I p. 173.

(e) Cui etiam apud Sedem Apostolicam præsentis munus Consecrationis impendi idem Papa jusserat.

(f) Qui de Canonicatu cum præbenda Ecclesiæ Lincopensis auctoritate Apostolica sibi fuisse provisum aserebat, "quanquam propter rebellionem & contradictionem *Karoli Sibbonis* (?) & quorundam Canonicorum ejusdem ecclesiæ, possessionem ejus pacificam nondum esset consecutus".

10. *Geniuto Huteland (?) Canonico Lincopensi. L. a. E d. iisd*
Ejusdem tenoris. — Indid. Ep. 270.

11. *Giraldo (?) Ulfonis, Decano Ecclesie Lincopensis. L. a. E d. iisd.*
Ejusdem tenoris. — Indid. Ep. 271.

12. *Matheo Halstani, Preposito Ecclesie Arosiensis. Apud villam Novam Avinionensis Dioecesis, VII Kal. Octobr. A. II. (d. 25 Sept. 1343).* Præpositura Ecclesiæ Arosiensis, (pro qua, ut asseretur, ultra 12 floreni auri de Florentia pro decima non consueverunt exsolvi) per promotionem *Henunggi* (Hemmingi) ad Archiepiscopatum Upsalensem (g) vacans, (cujus dispositionem hac vice sibi Papa reservaverat) huic Matthæo (Nepoti Egilli Episcopi Arosiensis, ab eo apud Papam commendato) committitur, licet in Ecclesia Upsalensi Canonicatum & Præbendam obtineret. (h) — Indid. A. II p. 101.

13. (Petro) *Lincopensi, (Egillo) Arosiensis Episcopi E --- Decano Ecclesie B. Marie Ville nove Avinionensis Dioecesis. L. a. E d. iisd.* Injungitur eis, ut supradictum Præpositum *Matthæum* in corporalem possessionem præfatæ Præposituræ admittant. — Indidem.

15. *Egillo Episcopo Arosiensis. Avinione VI Kal. Maji A. II (d. 26 Apr. 1344).* Permittitur ei, licet Ordinis Fratrum Prædicatorum professor existeret, ut de bonis mobilibus ab illo per Ecclesiam Arosiensem licite acquisitis, quæ altaris vel altarium ministerio, seu alicui speciali eorundem divino cultui vel usui non fuerint deputata, pro decentibus & honestis expensis funeris sui, & pro remuneratione illorum qui ei viventi servierunt,
five

(g) Cfr. RHYZELIUS I. c. p. 42.

(f) Ejus tamen nomen in Chronico veteri, a SHEFFERO edito, non invenio,

sive sint consanguinei sive alii, juxta servitii meritum, moderate tamen, disponere & erogare possit, & alias, aere tamen alieno de ipsis prius deducto, ut ipsa ecclesia non remaneat debitis obligata, in pios usus ac licitos convertere. Injungit autem ei simul Papa, ut in illa bonorum suorum dispositione, juxta quantitatem residui, erga dictam ecclesiam se liberalem exhibeat. — Indid. A. II, T. 3 p. 419 Ep. 1745.

15. (Hemmingo) *Archiepiscopo Upsalensi* & --- (i) *Episcopo Strengianensi, & Decano Ecclesie Lincopensis. L. a. & d. iisdem.* Questus fuerat *Egislus* Episcopus Arosiensis, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati & Clerici, ac Ecclesiasticæ personæ tam Religiosæ quam seculares, nec non Duces, Marchiones (k) &c. occuparunt & occupari fecerunt terras, domos, possessiones, jura & jurisdictiones, nec non fructus &c. ad ipsam Ecclesiam & mensam suam Episcopalem Arosiensem spectantia, & ea detinent &c. nonnullæ etiam civitatum & Dioc. &c. eidem Episcopo super prædictis terris &c. multiplices molestias & injurias inferunt & jacturas. Quare cum eidem Episcopo reddatur valde difficile, pro singulis querelis ad Apostolicam sedem habere recursum, eo supplicante, Papa Archiepiscopum, Episcopum Strengnesensem, & Decanum Lincopensensem constituit Conservatores & Judices, præfato Episcopo præsidio futuros, atque severam in illo negotio peragendo iis injungit diligentiam. — Indid. A. II T. 6 Ep. 40.

16. *Egisto Episcopo Arosiensi. Ibid. II Kal. Maji (d. 30 Apr. 1344).* Cum Episcopo docente *sape contingeret, Ecclesias & Ce-*
M 2 me

(i) Sive *Frendero* s. *Sigmundo* (nam nomen in nostro exemplo non est expresum): cfr. RHYZELIUS l. c. p. 212.

(k) In Bulla ejusdem tenoris infra adferenda (N:o 20) additur: "Comites, Barones, Nobiles, Militares & Laici", trita formula,

meteria sue Civitatis per effusionem sanguinis vel feminis violari, quæ per seipsum reconciliare non posset; permittit ei Papa, per triennium, ut tales Ecclesias vel cœmeteria per aliquem Canonicum suæ Ecclesiæ Presbyterum, seu alium Sacerdotem idoneum, curam animarum habentem, modo debito, reconciliare valeat. — Indid. a. II T. 3 p. 4184 Ep. 1744.

17. *Universis Christi fidelibus. Apud villam Novam Avenionensis Diocesis, XV Kalend. Junii A. VIII (d. 18 Maji 1349). Indulgentiæ unius anni & 40 dierum omnibus conceduntur, qui in certis festivitibus hic enumeratis Ecclesiam Lincopensem visitaverint. — Indid. A. VIII T. 2 p. 428 Ep. 1525.*

18. *Universis Christi fidelibus. L. a. & d. iisd. Eædem indulgentiæ illis promittuntur, qui Ecclesiæ Lincopensi, quæ jam dudum construi & ædificari fuit incepta opere sumtuoso, perficiendæ & consummandæ manus præbituri forent adjutrices. — Indid. Ep. 1526.*

19. *Egisto Episcopo Arosiensi. Ibid. XV Kalend. Aprilis, A. IX. (d. 18 Mart. 1351). Privilegia, libertates & jura tam Ecclesiis Civitatis & Diocesis Arosiensis, quam Episcopis, Capitulo & personis ecclesiasticis ejusdem Diocesis a Magno Rege Sveciæ & Norvegiæ, Prædecessorum suorum exemplo concessa, a Papa, petente Episcopo, confirmantur. — Indid. A. IX, T. 2, P. 2 p. 117 Ep. 1356.*

20. *(Sigmundo) Episcopo Strenginensis & --- Preposito Lincopensis ac --- Decano Upsalensis Ecclesiarum. L. a. & d. iisd. Conservatores constituuntur honorum Ecclesiæ Arosiensis, Episcopo Egisto postulante. Ejusdem plane ac Bulla quam nuper recensuimus (N:o 15) tenoris. — Indid. A. IX Lib. 2 P. 1 p. 235 Ep. 703.*

21. *(Egisto)*

21. (Egillo?) *Episcopo Arosiensis* & --- *Præposito Lincopensis* ac --- *Decano Upsalensis Ecclesiarum. L. a. & d. iisd.* Ex con-
 quessione Abbatisæ & Conventus Monasterii Monialium Montis
 B. Virginis (l), Cisterciensis Ordinis, Strenginensis Diœcesis, Papa
 perceperat, quod nonnulli Archiepiscopi &c. (ut supra N:o 15)
 occuparunt seu occupari fecerunt Castra, villas & alia loca, ter-
 ras &c. (ut supra l.c.) dicti Monasterii, ac nonnulla alia bona mo-
 bilia & immobilia, spiritualia & temporalia, ad Abbatisam &
 Conventum spectantia, & ea detinent &c.; quare Episcopum,
 Præpositum & Decanum, ad quos literæ directæ sunt, constituit
 Conservatores & Judices præfatis Abbatisæ & Conventui. —
 Indid. A. IX Lib. 2 P. 1, p. 235 Ep. 702.

22. *Sigfrido (m) Eleto Scarenfi. Avinione VII Idus Julii*
A. XI (d. 9 Julii 1362). Vivo adhuc *Siggone* Episcopo Sca-
 renfi, Papa provisionem ejus Ecclesiæ dispositioni suæ reservave-
 rat; unde illo jam defuncto, hunc *Sigfridum*, Decanum Ecclesiæ
 M 3 Up-

(l) *Vårfruberga* s. *Fogdö*. Vid RHYZELII *Monasteriol.* p. 206.

(m) Hunc *Sigfridum* neque in serie Episcoporum Scarensium commemo-
 ratum reperimus (cfr. RHYZELIUS *Episcoposc.* P. I p. 174), neque in
 veteri *Chronico Archiepiscopor.* &c. *Upsal.* quod SCHEFFERUS edidit,
 atque ubi inter *Decanos* ejus Ecclesiæ *Sigfridus Roekkeri* occurrit
 (p. 165), verbulo indicatur, eum ad Episcopatum Scarensem fuisse
 promotum; adeo ut dubium videri queat, an ad illius numeris admini-
 strationem unquam pervenerit? Sed tollunt hanc dubitationem Literæ
 Papæ *Innocentii* VI mox adferendæ, quæ simul docent, hunc *Sigfridum*
 anno jam 1354 diem obiisse supremum, eique eodem anno successisse
Laurentium de Bergis; adeo ut *Benedicto* IV, quem RHYZELIUS pro-
 ximum facit *Laurentii* prædecessorem, (ac de quo parum lucidam ha-
 buisse cognitionem videtur) locus non superfit, pro quo reponendus
 est hic *Sigfridus*.

Upsaliensis in Sacerdotio constitutum, illi dat succesforem. — Indid. A. XI Ep. 8, T. 2 p. 25 t.

23. — 28. *Capitulo Ecclesie Scarenfis; Clero Civitatis & Dioecesis Scarenfis; Populo Civitatis & Dioecesis Scarenfis; Archiepiscopo Upsalensi; Regi Svecie illustri. L. a. & d. iisd.* Eadem de re. — Indid.

29. *Raymundo t. S. Crucis in Hierusalem Presbytero Cardinali. Ibid. XVI Kalend. Augusti A. XI (d. 17 Julii 1352).* Canonicatus & Præbenda Ecclesie Arosiensis, per promotionem *Sigfridi* ad Episcopatum Scarensem vacantes, Cardinali conferuntur. — Indid. A. XI T. 2 Ep. 12.

30. *Eidem. L. a. & d. iisd.* Canonicatum & Præbendam Ecclesie Strenginensis per ejusdem *Sigfridi* promotionem itidem vacantes, eidem huic Cardinali Papa similiter confert. — Indid. A. XI Lib. 2 Ep. 16.

INNOCENTIUS VI.

1. *Raymundo t. S. Crucis in Hierusalem, Presbytero Cardinali. Apud villam Novam Avinionensis Dioecesis. Idibus Maji A. I (d. 15 Maj 1353).* Collatio Canonicatus & Præbendæ Ecclesie Strengnesensis, per literas Clementis VI (nuper recensitas) Cardinali facta, confirmatur. — Ex Regesto Literar. Apostolicar. Innocentii P. P. VI, A. I. L. 1 p. 44.

2. --- *Preposito Ecclesie Lincopensis. Ibid. Kal. Julii A. I (d. 1 Julii, 1353).* Vacanti per promotionem *Magni (a)* ad
E.

(a) De quo cfr. RHYZELIUS l. c. p. 253, quemque Avinione consecratum fuisse, hinc simul discimus.

Episcopatum Arosiensem Præposituræ Scarenfi, cujus provisionem sibi Papa reservaverat, præfici jubet *Laurentium Vesgotini* (?) *de Bergis* (b) Canonicum Scarensem a *Magno* Rege Sveciæ, Norvegiæ & Scaniæ (cujus Capellanus erat), commendatum, idque negotium Præposito Lincopenfi, si illum, diligenti instituto rei examine, invenisset idoneum, perficiendum committit. — Indid. A. I L. 2 Ep. 647.

3 --- *Archidiacono Scarenfi. L. a. E^s d. iisd.* Canonicatum & Præbendam Ecclesiæ Lincopenfi, per promotionem *Magni* ad Episcopatum Arosiensem, adhuc vacantes, *Hermanno Osgoti* (?), Rectori Curatæ Ecclesiæ *Orabro*, Strenginensis Diocesis, pro quo, utpote Secretario suo, Rex Sveciæ & Norvegiæ *Magnus* supplicaverat, Papa confert; eamque rem Archidiacono Scarenfi peragendam committit. — Indid. A. I Lib. 2. Ep. 648.

4. *Magno* (c) *Episcopo Arosiensi. Ibid. II Idus Julii A. I* (d. 14 Julii 1353). Conceditur ei per triennium facultas (quam prædecessori suo *Egisto* permisam fuisse supra vidimus, p. 91 N:o 16) Ecclesias & Coemeteria per aliquem Sacerdotem idoneum, ubi opus fuerit, reconciliandi. — Indid. A. I T. 3 p. 378 t. Ep. 256.

5. *Eidem. L. a. E^s d. iisd.* Datur ei venia dispensandi, hac vice, cum X personis defectum natalium patientes, de soluto genitis & soluta, ita ut possent ad omnes ordines promoveri, & quilibet ipsarum unum Beneficium Ecclesiasticum, etiam si ei cura immineret animarum, obtinere queat. — Indid.

6. *Universis Christi fidelibus. L. a. E^s d. iisd.* Petenti Episcopo

(b) Alius locus hujus Bullæ dicit, eum cum Canonicatu conjunctam habuisse Præbendam ac curatam ecclesiam *de Borgb* (*Berg?*), Scarenfi Diocesis.

scopo *Magno*, cum Ecclesia Arosiensis reparatione indigeat, Papa omnibus vere poenitentibus & confessis qui manus ad hoc porrexerint adjutrices, unum & XL dierum indulgentias concedit. — Indid. A. I T. 3 p. 379 t. Ep. 255.

7. *Innocentius* &c. ad futuram rei memoriam. *Ibid.* XII Augusti A. I (1353). Papa, instante *Sigfrido* Episcopo Scarenfi, exemplum literarum Prædecessoris sui *Clementis* XI, in Registro ipsius repertarum indeque transcriptarum confirmat, (literæ originales periisse videntur) quibus ille Episcopus fuit Scarenfis constitutus. Vid. supra p. 93 N:o 22

8. *Laurentio* (c) *Electo* Scarenfi. *Ibid.* V Kal. Julii A. II (d. 27 Julii 1354). Cum Papa, vivente adhuc Episcopo *Sigfrido*, provisionem Scarenfis Ecclesiæ dispositioni suæ hac vice reservasset; dictæ Ecclesiæ, per obitum *Sigfridi* (qui nuper in illis partibus diem clausit extremum) vacanti præficit hunc *Laurentium* ejusdem Ecclesiæ Præpositum. — Indid. A. II Lib. 3 Ep. 27.

9. — 13. *Capitulo Ecclesie Scarenfis; Clero Diocesis & Populo Civitatis & Diocesis Scarenfis; Archiepiscopo Upsalensi; Magno Regi Svecie illustri.* L. a. & d. iisdem. Eadem de re. — Indidem.

14. *Nicolao Helveri Præposito Ecclesie Scarenfis.* *Ibid.* VII Kal. Augusti A. II (d. 26 Julii 1354). Vacanti per promotionem *Laurentii* Præposituræ Ecclesiæ Scarenfis, dicto commendante Episcopo, præficitur; quem vero in dicta Ecclesia Canonicatum & Præbendam ac parrochiam *Oonstadhum* (?), ejusdem

(c) Cfr. de hoc, supra p. 93 nota (m), p. 94 N:o 2, & RHYZELIUS l. c. p. 174.

dem Diœcesis obtineret, prout ad id sese sponte obtulerat, dimittere debebat. — Indid. A. II, Lib. 3 Ep. 391.

15. -- *Preposito, & Birgero Gregorii ac Caanetu (Canuto) Thorstani Canonici Ecclesie Strenginensis. L. a. & d. iisdem. Eadem de re. — Indid.*

16. --- *Abbati Monasterii de Varnen (Varnhem) Scarenfis Diœcesis. L. a. & d. iisd.* Mandatur ei, ut quamprimum supradictus *Nicolaus* Præposituræ possessionem foret assecutus, *Canonicatum & Præbendam* ab eo hætenus in Ecclesia Scarenfi possessionem, conferat *Fulconi Canuti Clerico Scarenfis Diœcesis. — Indid.*

17. *Thirgillo (d) Joannis Preposito Ecclesie Strenginensis. Ibid. II Nonas Septembris A. III. (d. 4 Sept. 1355).* Quum a parte *Sigmundi* Episcopi Strenginensis, in Consistorio coram Papa fuisset propositum, quod idem Episcopus in ætate decrepita constitutus, adeo senio & infirmitatibus gravaretur, ut ipse, prout ad ejus spectat officium, regimen & administrationem Ecclesiæ suæ exercere nequiret, adeoque peteret, ut providere ei de Coadjutore idoneo Papa dignaretur; hic *Thyrgillo*, pro quo Episcopus quoque supplicaverat, id muneris committit: cui tamen simul injungitur, ut Episcopo (si sanæ mentis fuerit) & Capitulo Ecclesiæ suæ, seu ipsius Ecclesiæ successori (si antea non fuerit factum) rationem administrationis suæ reddat, retentis modo pro suo usu de proventibus ad Episcopum spectantibus, sumtibus moderatis. — Indid. A. III Lib. 2 P. 1 p. 50 t.

18. 19 20. *Capitulo Ecclesie Strenginensis; Clero Civitatis & Diœcesis Strenginensis; Populo Civitatis & Diœcesis Strenginensis; L. a. & d. iisd.* Eadem de re. — Indid.

N

URBA-

(d) *Thyrgillo.*

URBANUS V.

1. *Nicolao Siggonis Preposito Ecclesie Scarenfis. Avinione III Non. Decembris A. I* (d. 3 Dec. 1362). Præpositura Ecclesiæ Scarenfis, per mortem *Falconis Canuti* vacans, quam Episc. *Nicolaus* huic *Nicolao Siggonis* contulerat (de qua autem hic subdubitabat, annon ejus collatio atque provisio dispositioni Sedis Apostolicæ esfet reservata &c.? benigne ei confirmatur. — Ex Reg. Literar. Apostolicar. de Ind. Urbani P. P. V, A. 1, Ep. 248.

GREGORIUS XI.

1. *Carissimo in Christo filio (Alberto) Regi Svecie illustri. Avinione Kalend. Aprilis A. I* (d. 1 Apr. 1371). Cum Prædecesor suus *Urbanus V* de persona *Johannis (a)* Episcopi Aboënsis duxisset providendam eumque Ecclesiæ Aboënsi auctoritate Apostolica præficiendum, eum Papa Regi commendat. — Ex Reg. Liter. Apostolicar. de Ind. Gregorii P. P. XI A. 1, p. 124.

2. *Universis Christi fidelibus. Apud villam Novam Avenionensis Dioecesis, XI Kalend. Julii A. I* (d. 21 Junii 1371). Quum Upsalensis Ecclesia reparatione indigeret quam plurimum sumtuosa; Papa omnibus qui ei adjutrices porrigerent manus, & qui certis festis diebus eam visitarent, Indulgentias concedit. — Indid. A. I, p. 175 t.

3. *Mathie (b) Episcopo Arosiensi. Ibid. X Kalend. Aug. A. II*
(d.

(a) *Westphal.* De quo cfr. si placet editum a nobis atque illustratum PAULI JUUSTEN *Chronicon Episcoporum Finlandensium* p. 16 & 360 sqq, ubi hanc etiam Bullam Papæ Gregorii XI totam interuimus (p. 362 not. 320).

(b) *Matthiæ Laurentiæ.* Cfr. RHYZELIUS *Episcoposc.* P. I p. 253.

(d. 23 Aug. 1372). Tribuitur ei, ob raritatem Presbyterorum in illa Diœcesi, facultas dispensandi cum sex personis defectum natalium patientibus (utpote genitis de parentibus Presbyteris & solutis), iisque ordines conferendi. — Indid. A. II, p. 210.

JOHANNES XXIII.

I. *Petro (a) Episcopo Arosiensi, Apostolice Sedis Nuncio in Regno Svecie, jurium, fructuum, reddituum & proventuum Camere Apostolice debitorum Collectori. Rome apud S. Petrum Kalend. Junii A. II (d. 1 Junii 1411 (b)).* Cum Regnum Siciliae & Terra citra Farum (Pharum) quæ juris & proprietatis essent Romanæ Ecclesiæ, & nonnullæ civitates, terræ ac loca ad eandem Ecclesiam spectantia, passim invasa, occupata & tyrannica malignitate detenta essent, ac guerrarum angustiis lacerarentur; atque Apostolica Camera ob pestiferum & diuturnum Schisma &c. exhausta existeret: Papa necessarium duxit, ut Schismaticis atque invasoribus istis resistere valeret, Decimam omnium reddituum & proventuum Ecclesiasticorum in Regno Sveciæ (ut & aliis in Regnis) per tres annos a singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Administratoribus, Electis & Abbatibus, cæterisque Prælatibus & personis ecclesiasticis exigere. Cujus decimæ solvendæ & severe exigendæ rationem accurate præscribit (c.) — Ex Regesto Literar. Apostolicar. Johannis XXIII, To. 4 p. 79 t.

N 2

MAR-

(a) *Ingevasti.* Cfr. RHYZELIUS l. c. p. 255.

(b) Adscriptus quidem nostro exemplo est a. 1412, sed cum hic *Johannes*, XVI Kalend. Junii a. 1410 electus sit Papa (teste CIACONIO l. c. p. 785.); patet, diem 1 Junii 1412 ad annum suum III jam pertinuisse.

(c) De quo cfr. RHYZELIUS l. c. p. 113.

MARTINUS V.

1. *Universis presentes literas inspecturis Ludovicus Alamandi, --- Electus Magelonensis, --- Francisci Archiepiscopi Narbonensis, Domini Pape Camerarii, in hujusmodi Camerariatus officio locum tenens, salutem &c. Mantue die XV mensis Novembris A. 1418, Indiæ. XI, Pontificatus -- Martini P.P. V Anno I. Testatur Canutum (d) Episcopum Lincopensem, qui singulis trienniis, Curia Romana citra montes existente, Sedem Apostolicam visitare tenebatur, pro duobus trienniis proxime futuris, per Nicolaum Ragvaldi Canonicum Strenginensem, Procuratorem suum, tempore debito visitasse. Nihil tamen idem Procurator ratione visitationis &c. hujusmodi, Camere Apostolice obtulit, seu servivit (e) — Ex To. 8 Divers. Camer. p. 163.*

2. Similes literæ *Ejusdem, datæ Mantue die III Mensis Februarii sub anno &c. 1419, Indictione XII, Pontificatus &c. A. II.* Quibus literis testatur, *Andream (f) Episcopum Strenginensem, idem visitationis officium, pro uno triennio, per Nicolaum Raynaldi (Ragvaldi) Canonicum Strenginensem, Procuratorem suum, perfecisse. Nihil tamen Cameræ Apostolicæ obtulisse, seu servivisse, pro more additur. — Indid. T. 5 p. 24.*

3. Similes Literæ ab *Eodem datæ. Rome apud S. Petrum die XV mensis Febr. a. a nativitate D:ni 1424, Pontificatus &c. A. VII.* Idem Episc. *Canutus (per Nicolaum dictum Homi (?) & Benedictum Lauretum, Canonicos Ecclesiæ Lincopensis, Procuratores*

(d) Cfr. de hac Bulla (quam recenset A. CELSÆ l. c. p. 164 N:o 6) LAGERBRING *Hist. Regni Svec. T. IV C. VI §. 5.*

(e) Cfr. LAGERBRING l. c. T. III C. VIII §. 3 p. 609 sq.

(f) *Johannis.* Cfr. RHYZELIUS l. c. p. 214.

tores suos) rursus pro duobus trienniis Sedem Apostolicam visitaverat. Nihil tamen neque tum eum Camerae Apostolicae dedisse, asferitur. — Indid. T. 8 p. 95.

4. *Martinus* &c. *Nicolao Archiepiscopo Bremensi. Rome apud Sanctos Apostolos V Kalend. Octobris A. VIII* (d. 27 Sept. 1425). De procuranda pace inter *Ericum* (Pomeranum) Daniae, Sveciae & Norvegiae Regem, atque *Henricum, Adolfum & Gerardum*, fratres, Duces Slesvicenses, eorumque complices sollicitus, id quidem negotium Papa jam antea commiserat *Johanni* Episcopo Lubicensi; sed frustra. Quare nunc requirit & hortatur Archiepiscopum, ut omni nisu illud peragere studeat, re etiam cum Proconsulibus & Consulibus Civitatum Lubicensis, Wismarientis & Luneburgensis communicata. — Ex Reg. Literar. Apostolicar. Martini P. P. V, T. 8 p. 230.

EUGENIUS IV.

1. *Franciscus Condolmario, Apostolice Sedis Protonotarius, --- Pape vice Camerarius, universis* &c. *Apud S. Petrum Anno* &c. *1431 die 19 mensis Julii, Pontificatus* &c. *A. I.* Testatur, solita formula, *Kanutum* Episcopum Lincopensem, per *Magnum Troconis* Procuratorem suum, visitationis ad Curiam Papalem suscipiendae officium pro duobus trienniis praestitisse. — Ex To. 16 Div. Camer. p. 66.

2. *Ejusdem* Literae similes, datae *Ibid. die 20 Aprilis A. 1439, Pontificatus A. XI, Benedicto* Episcopo Lincopensi, singulis quadrienniis ad Sedem Apostolicam visitandam obstricto, qui pro duobus quadrienniis idem officium per *Johannem de Erfordia*, Procuratorem suum, perfecerat. — Indid. T. 20 p. 68 t.

3. *Eugenius* &c. *Universis & singulis Episcopis Suffraganeis*
N 3 Ec.

Ecclesie Upsalensis. Rome apud S. Petrum A:o Incarnationis &c. 1433, IV Idus Octobris A. III. Communicat Papa cum iis literas a se ad R. *Ericum* misas (datas Romæ apud S. Laurentium in Damaso, a:o Incarnationis &c. 1433, VIII Kal. Octobris, Pontificatus anno III), quibus ei significaverat, se *Olavum* (g), concorditer & canonicè per Capitulum electum, Ecclesiæ Upsalensis Archiepiscopum constituisse, simulque testatus fuerat, se eundem *Olavum* nequaquam ideo promovisse (ut quidam ejus æmuli Regi retulerant) quia asseruisset Papæ, se esse Regis Capellanum, familiarem & Consiliarium, atque super promotione sua Regis habuisse consensum & voluntatem (de quibus rebus nihil apud Papam fuerat dictum (h)), sed ob electionem & merita virtutis suæ; ac cæterum Regis favori novum Archiepiscopum & ecclesiam suam commendaverat. Quæ omnia hic repetit & porro confirmat. — Ex Reg. Literar. Apostolicar. Eugenii P. P. IV, To. 73 p. 224.

NICOLAUS V.

I. --- *Abbati Monasterii de Saba (a), Strenginensis Diocesis, Fabriani Amerinensis Diocesis a:o &c. 1450, XI Kal. Augusti, A. IV (d. 22 Julii 1450).* Demonstraverat Papæ *Andreas* Abbas Monasterii S. Mariæ de Alvastro, Cisterciensis Ordinis, Lincompenis Diocesis, redditus mensæ Abbatialis ejus Monasterii (quod in suis structuris & ædificiis ruinam non modicam patiatur) a deo esse diminutos, ut Abbas pro tempore existens *juxta Abbatia-*

(g) *Laurentii*, de quo vid. RHYZELIUS l. c. P. I p. 45 sq. Cfr. LAGERBRING l. c. §. 22 & 23.

(b) *Licet* (gratiosè addit Papa) *familiares tuos omnes & Consiliarios habere semper in eorum petitionibus, contemplatione tue serenitatis, specialius recommissos.*

tialis dignitatis decentiam commode sustentari & onera sibi incumbentia supportare non valeat; si autem parrochialis Ecclesia de *Hedhe*, dictæ Diœcesis, mensæ prædictæ perpetuo uniretur, ipsi Abbati pro sua sustentatione & oneribus supportandis non modicum subventionis auxilium proventurum, ad ipsius quoque cesfurum Monasterii venustatem. Simul idem Abbas narraverat, dictæ Ecclesiæ parrochialis redditus XX florenorum aureorum de Camera, (ut neque mensæ prædictæ fructus & proventus C hujusmodi florenorum valorem annum, secundum communem æstimationem) non excedere. Quare Papa Abbati de Saba hujus rei cognoscendæ, & si ita esse invenerit, perficiendæ negotium committit, finita commenda *Haquino* presbytero dictæ Diœcesis usque ad sex menses auctoritate ordinaria facta, Executioni mandandum: ita tamen, ut postea Abbates singula onera ratione dictæ Ecclesiæ pro tempore incumbentia supportare debeant. — Ex Regesto Literarum Apostolicarum de Cur. Nicolai P. P. V, T. 28 p. 49.

2. *Universis & singulis ad quos presentes litere pervenerint. Rome apud S. Petrum Anno Æc. 1451, IV Kal. Julii A. V* (d. 28 Junii 1451). *Bartholomæus*, Episcopus Coronensis, Nuntius & Orator ad Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ & Gothiæ regna, ac nonnullas alias partes & provincias circumvicinas, pro nonnullis Papæ & Romanæ Ecclesiæ negotiis, ac pro pace & quiete Regnorum & partium prædictorum missas, diligenter favori, auxilio & obsequio hominum commendatur. — Indid. T. 32 p. 153.

3. *Ad futuram rei memoriam. Ibid. 1452 Kal. Aprilis, Pontif. A. VI* (1452 d. 1 Apr.). (a) Exposuerat Papæ Rex Sveciæ
Caro-

(a) Exhibet hanc Bullam (cujus duplex exemplum ad Generosiss. D.n. FREDENHEIM diversis temporibus fuit transmissum) integram (descri-

Carolus, quod postquam ipse & Rex Daniæ *Christiernus*, pro libris inter eos componendis, in oppido *Halmstadenfi* (b) per Ambasiatores suos de certis capitulis convenissent, & Ambasiatores porro ad oppidum de *Albaster* (c), certo die præstituto ad reliquas litis partes terminandas misissent; nihil tamen, propter tergiversationem Danorum potuerit effici, qui, contra fidem datam inde infectis rebus disceserant: quare Rex *Carolus* ad Sedem Apostolicam appellaverat (d). Hinc Papa *Johanni* S. Angeli Diacono Cardinali (e) commiserat, ut causam prædictam audiret, sed petente *Carolo* prosecutionem causæ nuper suspenderat; ac ne interim fatalia propter hanc moram labantur, per has literas suas cavet, decernit & declarat. — Indid. T. 41 p. 23 t.

CALISTUS III.

I. *Johanni* (a) *Archiepiscopo Upsalensi* & *Nobilibus viris univervis Baronibus, Proceribus, Consiliariis* & *Militibus Regni Suetie*

ptam ex LEIBNITII *Cod. Juris Gent. Diplom.* Part. 1, N:o CLX 11 pag. 404) LAGERBRING *Monum. Scanens.* P. I p. 113 sqq. & recenset A CELSE l. c. p. 191 sq. (additis nonnullis, de quibus ipsa hæc Bulla non commemorat).

(b) De conventu hoc Halmstadiensi cfr. LAGERBRING *Hist. R. Svec.* T. IV Cap. VIII §. 13 sq.

(c) Ita nomen loci in priori nostro exemplo semper scribitur, sed in alter partim *Alwaster*, partim *Auaster*; apud Nob. LAGERBRING (re-tius) legitur *Auaster* (Avaskär).

(d) Cfr. LAGERBRING *Hist. R. S. T.* IV C. VIII §. 19.

(e) Hunc *Johannem* (*Caravagial* s. *Carual*, Hispanum) Diaconum Cardinalem S. Angeli in loco Piscium, ac tandem Cardinalem Episcopum Portuensem & S. Ruffinæ (Vid CIACONIUS l. c. p. 925), cum *Bartholomæo*, Episcopo Curonensi (de quo supra p. 103 N:o 62) confundere videtur A CELSE l. c. p. 191 N:o 12, male vocans *Cardinalem Johannem a S. Angelo*.

(a) *Benedicti de Salestad, Oxenstierna*; de quo Præfule superbo, audaci, turbulento atque improbo, omnes rerum nostrarum agunt scriptores.